Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1797
Quelle:
Copyright:

jorem partem archetyparum, et *aliorum Scriptorum* partim ad Religionem, partim ad alia negotia pertinentium hac ſerie:

Fol. I. *Gabrielis C. ab Ortenburg* Literae germ. ad *Joh. Fabrum* commendatitiae *Caſp. Buckhl*, qui mandato Regis Rom. *Viennae* in vinculis erat. Datae *Ortenburgi 21. Jun.* 1539. Vir hic nobilis *Gabriel de Salamanca* eſt, cui *Ferdinandus* I. meritorum ergo a. 1524. Comitatum Ortenburgicum in *Carinthia* jure clientelari conceſſerat. Nota et hic, et pluries in ſequentibus epiſtolis *Fabrum* adpellari *Principem (den Hochwürdigen Fürſten)* quanquam titulus *S. R. J. Principis* primum collatus ſit *Antonio Wolfrath* Epiſcopo Vienn. ✠ 1639.

Fol. III. Regii Fiſci in *Auſtria infer.* Quaeſtorum *Decretum* ad Senatum Vienn. *de ſolvendis Decimis*, quae aerario debebantur. Datum 14. *Aprilis ſ. a.* germanice.

Fol. V. *Capituli Cathedralis* Eccleſiae *Baſileenſis* Literae germ. ad *Joh. Fabrum* de mala adminiſtratione Oeconomi Praepoſiturae Capituli, qui cum Capitulo, tum *Fabro* Praepoſito magnam pecuniam debebat. Dat. *Friburgi die Martis Valentini* 1538. Huc enim Capitulum poſt *Baſileae* ad *Zwinglium* defectionem ſeceſſerat. *Fabrum* non modo *Officialem*, quem vocant, ſed et *Praepoſitum* Baſileenſem fuiſſe, pauci norunt.

Fol. IX. *Relatio* ex aula Regis ad *Joh. Fabrum* ſcripta de *Barbaroſſa* famoſo pirata ab obſidione *Caſtri Novi* magna cum clade depulſo, et aliis Turcarum damnis. Triplex exemplar ſine die et conſule, ſed a. 1539. exaratum, quo denique tandem *Barbaroſſa Caſtrum* cepit. Extant hac de re Epiſtolae binae *Eleutherii Magneſii Epidaurii ad Georg. Loxanum* datae *Venetiis* VIII. *Id.* et *Idib. Dec.* 1538. et impreſſae *Viennae* 1539. 4.

Fol. XVII. *Promiſſiones et Gratiæ communicantis ſub una ex ore Chriſti et quæ ſcripta ſunt Joannis capite* VI. Sunt Textus XI. de *ſola* Manducatione loquentes. Item: *Promiſſiones gratiæ utriusque ſpeciei.* Textus IV. cum brevi Epilogo.

Fol. XIX. Excerpta ex *Ritu* et *Ordine Exequiarum Friderici* III. Imp. 1493. pro norma Exequiarum Imperatrici *Eliſabethae* faciendarum, adhibito etiam *Pontificali Rom.* et *Libro obſequiali Dioeceſ. Vienn.* Editae ſunt *Friderici Exequiae* lat. et germ. *Viennae* typis *Joh. Winterburger eod. anno* 4. *Eliſabeth* ſive Iſabella Luſitanica Aug. obiit 1. *Maji* 1539. quam *Fabri* coadjutor et eccleſiaſtes regius *Fridericus Nauſea* oratione funebri celebravit impreſſa *Vien. in aedib. Joannis Singrenii eod. anno.* 8.

Fol. XXIX. *J. Fabri* excuſatoria ad *Ferdinandum* Regem Epiſtola. Dedicaverat Senatui Pragenſi *Confutationem graviſſimi*